



506

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

16

DE CAUSA
PALLORIS CUTIS
HOMINVM SVB ZONA TORRIDA
HABITANTIVM

QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

FRIDERICO CHRISTIANO
MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGAE REL.

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN VNIVERSITATE FRIDERICIANA ERLANGENSI
PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS PRIVILEGHS ET IMMVNITATIBVS
LEGITIME OBTINENDIS
SPECIMINIS LOCO

EXHIBVIT

AVGVSTVS LEBERECHT MÜLLER

LEOVARDA FRISO BATAVVS
IN AMERICAЕ INSVLA CVRACAO MEDICINAE PRACTICVS.

D. - IANVAR. M D CCLXV.

ERLANGAE

TYPIS WOLFGANGI WÄLTHERI.

DISSERTATIO IMPRIMERIIS MEDICIS
DE CAUSA
PALLORIS CUTIS

HOMINUM SUEZONAE TORIDA
HABITANTIVM

AVIA
SYMPTOMATIS AVSICIO
RIGORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCEPS AD DOMINUM
D O M I N O
FRIDERICO CHRISTIANO

MAGISTRO BRANDBURGICO BOVARSIANAE
SILVATICAE PARS BRANDBURGICAE

IN UNIVERSITATE SAARDINIANA BELLINGENSI

PRO GRADU DOCTORIS

IN MEDICINA HONORIS PRAESENTIA ET PROMOTIONE

AVSICIO AVSICIO

AVSICIO AVSICIO AVSICIO

AVSICIO AVSICIO AVSICIO

AVSICIO AVSICIO AVSICIO

AVSICIO AVSICIO AVSICIO

AVSICIO AVSICIO AVSICIO

AVSICIO AVSICIO AVSICIO





DE CAUSA
PALLORIS CUTIS
HOMINVM SVB ZONA TORRIDA
HABITANTIVM.

§. I.



Peripheriae corporis humani colorem varium esse, constat inter omnes, prouti ex vario coeli, climatisque, sub quo viuunt mortales, habitu, habitus quoque corporis externus suas patitur vicissitudines, in consuetudines endemias demum abeuntes, vt inde quoque ill. a Linné in system. natur. Edit. X. p. 20. 21. placuerit, inter hominum characteres extrinsecos etiam colorem referre, secundum quem, si a potiori fiat denominatio, *Americanus* rufo, *Europaeus* albo, *Asiaticus* lurido, *Afer* nigro colore gaudet.

A 2

Prouti

Prouti porro *temperamenta* varia sunt, et humorum, eorumque partium constitutiuarum, non tantum differens miscela, sed et partium solidarum, e fibris oriundarum, varia textura, varius quoque peripheriae, in facie praesertim conspicuus, color erit. Animi deinde pathemata eundem colorem varie mutant, prouti, pro obiectorum et sensationis ratione, nunc sanguinis circulus, et fibrarum tonus, in his magis vel minus intenditur, vel remittit. Morbi denique complures cutem mutant, quod, si a tot morbis exanthematicis recedimus, et in intermittentibus febribus conspicuum est, dum sub horrore et frigore corpus pallet, sub aestu rubet.

§. II.

Sed mutari quoque colorem indiuiduorum naturalem, si natale solum mutant, obseruamus, quando plane alia climatis ratio, ac ea, qua hucusque adfueri fuere, aliaque vita, accedit, atque inde compages integumentorum corporis mutatur. In huius generis peculiare exemplum nunc paululum inquiremus.

§. III.

Extremum corporis humani tegumentum epidermis, seu cuticula, est, quae numerosissimis poris perforata est, quibus et transpirabilis, et sudoris, materia, excernitur, ope extremitatum vasculorum cutis, quibus cum hisce poris est commercium. Inter eam et veram cutem reticulum illud, a

MALPIGHIO dictum, sedet. Vera cutis ex densissima tela cellulosa componitur, quam plurimae arteriae, ex subcutaneis, percurrunt, quae, ubi earum cumulus est, ut in genis, facieque, peripheriae rubori fauent, venae autem sanguinem revehant, unde rete aliquod subcutaneum mirabile enascitur. Plura hanc structuram concernentia, praeter alios, nitidissime demonstrata dedit ill. B. S. ALBINVS in *Diff. de sede et causis color. Aethiop.* et in *Academ. annotat.* Lib. I. Cap. I. II. III. IV. V. Colorem rubicundum autem cutis humanae naturalem a sanguine rubicundo haerente et fluente in vasis cutaneis, per epidermidem transparentibus, nemo nunc negabit. E contrario evanesceat color iste rubicundus, si plane nullus sanguis, vel sanguinis serum solum, praedicta vascula perfluit, quod, stricta corporis peripheria, obtinere solet, et si vasorum subsidencia, ex varia causa, orta fuerit. Eodem modo videmus quotidie, rubedinem cutis illam eo maiorem esse, quo maior est calor corporis et sanguinis, et quo vehementiores motus solidorum et fluidorum sunt.

§. IV.

Homo sanus, temperamento praesertim conspirante, acquirit colorem floridum, sanum ac rubicundum, quando in calore per aliquod tempus fuit, tam a fluxilitate humorum, quam a permeabilitate vasorum sanguiferorum, nec non liberatione partium ignearum in sanguine.

§. V.

Quamuis autem praedicta per experientiam satis confirmantur, praesertim in hominibus sub *Zona temperata* habitantibus; Attamen huius asserionis contrarium fere, sub *Zona torrida*, obseruamus. Homines enim, quamquam sanissimi, amittunt colorem rubicundum, viuudum, et acquirunt colorem album, candidum, vel pallidum, aut flauum, quamdiu vitae generi temperatori indulgent. Si vero eorum sanguis valde commouetur, vel si maiori caloris gradu gaudent, colorem adipiscuntur fuscum, et ex luteo nigrum.

§. VI.

Sistam, pro dictorum confirmatione, sequentes obseruationes:

OBSERV. I.

Homo in Europa sub *Zona temperata* natus et educatus, et sanae constitutionis, amittit colorem rubicundum floridum et sanum, postquam per aliquod tempus sub *Zona torrida*, ad quam locus, quo nunc commoror, Insula scilicet *CYRACAO*, vna ex insulis *Antillae* dictis, pertinet, vitam degit; etsi nullo morbo laborauerit.

§. VII.

OBSERV. II.

E contrario Homines sub *Zona torrida* nati, iique, qui non ex progenie exterorum nigrorum hominum, *Negres* dicto-

dictorum a) neque Indianorum indigenorum b), orti sunt, sed quorum parentes, vel quoque Maiores, Europaei, aut saltem candidae cutis fuere, qui belgice hic *Blanke* vocantur, et secundum naturam colorem candidum, pallidum, aut flauum possident, acquirunt sub Zona temperata, colorem viuulum, dummodo sani, nec iam aetate nimis profecti sint, in qua aetate cutis rigidior, fluidis transitum per vasa difficiliter permittit.

§. VIII.

OBSERV. III.

Observationum duarum praecedentium veritatem porro Nautae demonstrant, qui ex Hollandia, Anglia, Germania, aut aliis regionibus temperatis, quotannis ad regiones calidiores, quorum Insulae Antillae in America pertinent, transfretant. Postquam hi enim per aliquot Menses in hac India commorati sunt, colorem pallidum acquirunt, ex quo vero iterum in Europam reuersi sunt, colore rubro denuo gaudent.

§. VIII.

Inquiramus itaque in singularis huius phaenomeni causas, et videamus, vtrum in Diaera, aut in Aeris constitutione

a) Nigros homines appellant eos, qui e *Guinea* huc transferuntur, et, vt mancipia, ad peragenda seruitia venduntur emunturque, *Sclaven*.

b) Occidentales Indiani, ex eo

hominum genere nascuntur, quod iam olim Americam incoluit, antequam ab Europaeis detectus fuit nouus orbis. Cutis eorum colorem habet ex fusco flauescentem.

tione hae lateant, cum hic aliae et grauiore cauffae *palloris morbofi*, ex acido et glutinofa, aliove caco-chymico, vix adeo in cenfum veniant, quas tamen pulchre euolutas, praee aliis, dedere BOERHAVIUS de cognofc. et cur. morb. §. 64. 72. et de GORTER Comp. med. Tract. 34. n. 6. Tr. 38. n. 63. Tr. 40. n. 10. 50. n. 8. *cet. EIVSD.* Prax. med. T. I. p. 85. n. 104.

§. X.

Si Diaetam contemplamur, quo hic vtuntur, potius ea videtur caufas, colori rubro fauentes, introducere, quam eas, quae illum delere poffint. Plerique enim hominum in hifce regionibus calidis viuentes, multis cibis valde aromatizatis, falis, fumo toftis, vtuntur, et quotidie vinum admodum generofum, fanguinem exaeftuans, ac refoluens, vt *Maderiense*, ad hilaritatis pocula vifque bibunt. Alii fpiritum ardentem, feu inflammabilem, qui e fackaro deftillatur, hic *Kilduivel* dictum, amant, aliis lufus et falrationes arri- dent. Plerique animum quoque, quantum poffunt, a curis liberant, nec diu vni rei incumbunt, fed varietate delectantur. Iracundia his quoque familiaris eft, et quibusvis animi affectionibus quam maxime indulgent. In genere itaque Diaetae adfueti funt, quae magis fanguinis commotionem, humorum alcalefcentiam, fulphurearum partium deftructionem, et ignearum particularum maiorem refolutionem, magis quam in regionibus temperatioribus, produ- cere

cere videtur, ut itaque inde magis rubicundus, ne dicam fuscus, color, quam pallidus, a Diaeta videatur exspectari.

§. XI.

Quae de Diaeta huc usque dicta sunt, ea quidem de omnibus subiectis non valent, quoniam quoque homines inveniuntur, qui nullo plane vino utuntur, paucis cibis calefcentibus, multis vero fructibus hortensibus, frigidis, quotidie vescuntur, vitam sedentariam vivunt, et sanguinis et corporis vehementiores commotiones fugiunt, quod praesertim in feminis obtinet.

§. XII.

Esti haec ita sese habeant, tamen *pallor cutis* reperitur fere tantus, in iis, quibus Diaeta ea lauta arridet, quam §. X. notauimus, dummodo in vehementiori motu constituentur, quantus existit in aliis, vitae genus temperatius moderatiusque ducentibus. Vidi autem quosdam, qui, quo temperatiori vitae generi studebant, eo rubicundiores erant. Quamvis itaque non plane negarem, e vitae ratione supra allegata tandem *pallorem morbosum*, et speciem quandam *cachexiae* et *chloroseos*, oriri posse; tamen ex adductis quoque patet, cum dictus pallor in ceteroquin sanis obueniat, et in iis qui alias rubicundiores erant, adductam diaetam hic non omne negotium exhaurire.

B

§. XIII.

§. XIII.

Ad Aeris itaque naturam et indolem me vertam, et hic sese mihi duo offerunt momenta:

A) An particulae quaedam in Aere sint, quae colorem pallidum producant.

B) An vero Aer, quatenus subtilis admodum et calidus est, palloris causa existat.

§. XIV.

Quanquam in certis quibusdam locis particularum aeris vis in mutando colore admittenda omnino sit, veluti in metallicis, et opificibus, qui varia metalla igne tractant, imo in nonnullis thermis, sulphure soluto abundantibus, illud obtinet; tamen in Aere hoc nostro particulas quasdam existere, colorem pallidum producentes, mihi videretur vero haud simile. Hae enim particulae, adstringendo, aut infarciendo agere deberent, et pelluciditatem cuticulae §. III. innuere. Sed assumpta hac ratione particularum in aere contentarum vis in pulmonibus quoque conspicua esse deberet, in quos adducitur, et expiratur, et plerique homines Asthmatici aut Phthistici fierent, cuius vero contrarium quotidie hic perspicitur; licet quoque Aer in nonnullis regionibus, sub Zona Americae torrida sitis, E. g. in SVRINAMA et TERRA FIRMA *est*, haud adeo purus existat, tamen in aliis, ut hic CYRACAVIAE, perquam purus est; solummodo enim Mense Octobri, Nouembri, et Decem-

cembri, nec non Ianuario, Tempestas pluviosa, turbida ventique inordinati, praecipue Australes, qui hic frigidi, et propter frigiditatem damno non plane carent, regnant, vt inde aliquomodo Aeris inquinatio exoriri possit. Ceteris temporibus autem coelum serenum est, sol candens, aestuansque, et Eurus aerem ab omni impuritate et infectione, et effluuiis noxiis, magis liberat, vnde homines plerumque sani, minime vero pulmonum morbis adfecti, nascuntur, paucis exceptis, quorum corpus, aut ope conformationis praeternaturalis, temperamenti, vel alius dispositionis, aut ex praegressa haemoptysi, in hosce morbos, ipsamque phthisin, proclive est.

§. XV.

Nihil igitur adhuc superesse videtur, quam vt sciscitemur: quomodo aer, caliditatis ope, huius phoenomeni, *palloris* scilicet, causa esse queat. Aer autem nimis calidus

1) Humores in principio tenuiores, et fluxiliores reddit, praesertim autem eos, qui magis ad partes exteriores et cutim, vehuntur, partes porro salinas resoluit, oleosas liquefacit, internos vero humores quasi excoquit.

2) Fibras minimas valde relaxat, vnde vascula minima dilatantur, quae sudores largiores, transmittendo facilius humores, efficiunt, vnde humidae tenuissimaeque sanguinis, atque eius oleositatis et aquositatis, partes auferuntur, dissipantur, hinc ergo partes aquosas, subtiles, salino volatiles et spirituosas, quotidie calor imminuit.

B 2

3) Post

3) Post imminutionem et dissipationem tenuiorum humorum ceteras partes incrassat, terreas exsiccat, tenaciora inspissat et aggregat, salina fixiora auget, quod eo magis fit, quo magis quidam cibus salis, carne fumo tosta, *cer.* vitur, vnde lentiora tandem in massas irresolubiles vniuntur.

4) Solida debilitat et quidem
 a) per relaxationem vt n. 2. dictum, et rursus per sequentem constrictionem, quatenus post exinanitionem, et relaxationem vasculorum minimorum, et collapsus primo, et a vi vitali et Physica noua strictura et densitas deinde sequitur, praesertim si in hoc casu, post sudores largiores, et calorem, frigus quoddam, seu tractus aeris, horripilationem producit.

β) Si humores spissiores facti sunt, vt n. 3. dictum. Hi itaque immeabiliore, et propter condensationem grauiore, sunt, quo fit, vt vascula onerentur, et elongentur, et expandantur, et sine dubio valde debilitentur.

5) Si denuo vascula eo modo debilitata sunt, vt debite reagere nequeant, eorum collapsus sanguinem rubicundum impedit, quo minus per vasa minora subcutanea §. 3. seu rete subcutaneum, liberum circulum absoluere possit. Si vero sanguis ita impeditur, causa quoque coloris cutis rubelli et floridi tollitur, sublata vero causa tollitur quoque effectus.

§. XVI.

Paradoxon quidem videtur, expallescere quenquam posse sub maiori caloris gradu, et sub sanguinis ipsius concitatori

tiori motu. Verum, prouti iam ill. DELIVS in Dissert. de *aestu volatico*, Erlangae 1754. habita, §. 25. monuit, ratio phaenomeni ex laxiori cutis habitu petenda est, qui, et in concitatori motu, ex dissipatione fluidorum, collapsu vasculorum, oritur, unde et cuticula minus diaphana redditur, ideoque vascula sanguinea subcutanea, quae alias, dum per epidermidem pellucet, ruborem efficiunt, effectum nunc edere nequeunt, adeoque colorem peripheriae pallidiorem relinquunt.

§. XVII.

In §. V. notauimus, quod homines nonnulli post amissionem coloris floridi et rubicundi, colorem adquirant album, vel flauum, vel fuscum, vel ex luteo nigrum; Haec diuersitas quoque paucis considerari meretur. Vnde illa vero accidat, haud adeo difficulter ex antecedente contemplatione, tam fluidorum, quam solidorum, Diaeta, et praecipue temperamentorum ratione §. I. cunctisque simul coniunctis, deduci poterit.

§. XVIII.

Quod igitur colorem album, et candidum magis, attinet, eo quidem maxima pars hominum induta est, in sexu vero feminino, et iis, qui eandem Diaetam seruant, quam §. XI. adduximus, iste sese exferit, et, in iis, qui temperamenti Phlegmatici sunt, quorumque vires non plane sufficiunt, ad sanguinem rubicundum in vasa vltiora protruden-

dendum, ut itaque ex parte serum, vel lymphâ sola, per vascula vltima circulari queat, et cutis colore suo proprio, pro temperiei ratione, induatur.

§. XIX.

Fluedine cutis ii magis affecti sunt, qui aut iracundi sunt, aut Potatores; quorum quoque multi Ictero laborant, vbi a nimio vsu spirituosorum hepatis vasa constringuntur, ita ut bilis non rite secernatur, ideoque in sanguine remanere debeat. Itidem nonnulli cutim flauam a sole candente adquirent, etsi temperamenti phlegmatici magis sint, nec pocula ament, nec vehementibus motibus exponantur, id quod praecipue ab incrassatione et spissitudine, et exustione, mucis retis MALPIGHIANI, in Aere calidiore, tribuendum est. Tandem quoque vere aegroti, et morbis laborantes, multoties mutant colorem album in flauum; sed in aliis quoque regionibus aegrorum haec est fors, ut loco coloris floridi et viuidi, quem in statu sano possident, colorem album, et, prouti maior vel minor status cachecticus introducit, etiam luridum adquirant.

§. XX.

Colore ex luteo nigro paucissimi affecti sunt, et hi quidem tunc demum, quando multis spirituosos abusi fuerint, e quibus sanguinis orgasmus fonticus oritur, qui, versus partes exteriores pulsus, neque tamen in vasculis minimis per rete subcutaneum debitam circulationem subire potest. Vascula itaque ab impetu fluidorum expanduntur, et globulis rubicundis infar-

ciun-

eiuntur, vnde minimae moleculae sanguinis tandem in illis stagnant, et per cuticulam obscuriori forma pellucent. Nihilominus tamen vehitur sanguis in vasis paululum maioribus et magis adhuc parulis. Nunc vero notum est per experientiam, vasa sanguifera, quorum parietes crassiores, sanguine repleta, semper per cuticulam quasi liuida transparenere, ergo perspicitur primo sanguis in vltimis vasculis ex parte stagnans, dein vero vasa paululum maiora liuide transparentia, id quod, meo iudicio, sufficit, ad colorem ex atro rubentem producendum.

§. XXI.

Conclusionem itaque ex dictis tandem elicio, pallorem cutis eorum, qui in Zona torrida viuunt, praecipue advenarum, a collapsu vasculorum cutis minimorum, infarctu eorundem, nouaque strictura, oriri, quae cuncta ab aere calidiore proueniunt; ex quo, et siccori, fluida magis dissipantur, sicciora retinentur, cuticula magis opaca redditur, ideoque ad colorem sanguinis transmittendum eiusdem minor aptitudo. Quando autem color rubellus in iis redit, qui patriam reperunt, supponenda est absentia conditionum, vnde dicta effecta sunt. Scilicet dum aerem calidiorem cum eo, qui in Zona temperata est, commutant, nec tanta fluidorum amissio, nec ea, quam adumbrauimus, solidorum constitutio, amplius adest, in ceteroquin fanis, saltem ea, quae ex relaxatione orta erat; nunc in aere frigidiore solida ita mutantur, vt maius eorum robur nascatur, ideoque nouiter viuidiore colore, ac antea, peripheria gaudet.

TANTVM.

NO.

VX NOBILISSIMO ATQVE EGREGIE DOCTO

A. L. MVLLERO

S. P. D.

D. HENRICVS FRIDERICVS DELIVS

SERENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSIL. AVL.

MEDICINAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

ACADEM. IMP. NAT. CVR. NEC NON REG. SOCIET. SCIENT.

MONSPELIENS. ET ACAD. SC. ET ART. RHOTOMAG. SODAL.

FACVLTAT. MED. H. T. DECANVS.

In nouum itaque orbem ad TE nunc redit, haec, quam speciminis publici loco transmiseras, et examini subieceras, dissertatio. Effecerat autem laudabile TVVM in omnem rem medicam et naturalem studium, cuius Testes fides TVOS PRAECEPTORES in alma Academia nostra habes, vt, cum, iubente diuina prouidentia, diffitas nunc inhabites oras, FACVLTAS NOSTRA absenti TIBI summus in medicina decreuerit rogatos honores, atque, postquam coram foro TVO iuramenti formula nostra consueta, norma negotiorum TVORVM medicorum, vincetus fueris, honorum collatorum publicum documentum nunc TIBI exhibeat. Ego vero non tantum de auditore olim assiduo et bene morato laetor, sed placuit quoque speciminis TVI argumentum, quo TE et venerandi HIPPOCRATIS vestigia premere commonstrasti, qui, libro de *aëribus, aquis, locis*, medicum, qui ad regionem incognitam peruenerit, hortatur, vt eius situm, ventos, solem, hominum diaetam, inuestiget, vnde in cognoscendis etiam morbidubius non haereat, aut erret, sicubi ad morborum medicationem adhibeatur. Quare de futura TVA quoque in omne rei medicae, et scientiae naturalis, studium applicatione, non superest dubium. Concedat TIBI summum numen porro vires, mediaque, ad optimos fines optime ducentia. Ita TIBI, proximo, Cognatus, quos honoris causa nomino, abunde satisfacies. Id quod animitus voo. Vale! Dabam in academia Fridericiana Erlangensi

d. Ianuar. MDCCLXV.



AB: 38 $\frac{15}{1,4}$

X2500786

316





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

16

DE CAUSA
PALLORIS CUTIS
HOMINUM SUB ZONA TORRIDA
HABITANTIVM

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO
MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGAE REL.

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN VNIVERSITATE FRIDERICIANA ERLANGENSI
PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS
LEGITIME OBTINENDIS
SPECIMINIS LOCO

EXHIBVIT
AVGVSTVS LEBERECHT MÜLLER

LEOVARDA FRISO BATAVVS
IN AMERICAЕ INSVLA CVRACAO MEDICINAE PRACTICVS.

D. - IANVAR. M D CCLXV.

ERLANGAE
TYPIS WOLFGANGI WALTHERI.